



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De hostijs in Hainrode clericorum insania excussis, cap. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

in illo apparet, quemadmodum fieri solet, cum molli ceræ sigillū imprimitur. Sacerdos territus, mox hostiam leuauit, & laterem eruit; in quo cum tam ipse, quam multi alii, tantum miraculū vidissent, & expauescent, consilij inops sacerdos, locum tam mirabiliter hostia signatum rasit, puluerem ponens inter reliquias. Huic miraculo Arnoldus monachus noster dicit se interfuisse. Vt etiam Dominus ostenderet in aëre potentiam suam, tale quid fieri permisit.

CAPVT XV.

IN villa, cui Haynrode vocabulum est, sacerdos *Aër.* quidam est nomine Euerhardus, hic ante annos paucos ad ecclesiæ eiusdem festiuitatem vicinos sacerdotes conuocauit: solemnisantibus eis in vesperis circa altare, & insanientibus, vnus ex eis pixidem, quæ super altare cum corpore Domini pendeat, casu euertit, & quinque ex ea hostias excussit. Quod ubi compererunt cæteri, mox organa sua suspenderunt; quærentibus eis hostias, & non inuenientibus, populo eiectione, & foribus obseratis, dū omnes angulos perscrutarentur, nec comparerent, vnus eorum, diuino nutu, ambitum, qui erat circa murum, ascendit, ubi easdem hostias in modum crucis dispositas attendit: erat enim idem circuitus pixide multo altior. Obsequens aër suo Domino, corpus eius de pixide lapsū excepit, ne super terram laberetur, ubi ab angelis susceptum, in locum illum sublimē deportatum est. Hæc mihi à Methilde magistra de * Vsenich relata sunt. ** al. Hunsennich.* Cognouit & ignis sacramenti huius virtutem.

CAPVT XVI.

NON est diu, quòd quædam ecclesia in prouincia *Ignis.* nostra exusta est, cumq; omnia, quæ cremari poterant, in cinerem fuissent redacta, flammis sopitis homines intrantes, solam pixidem cum corpore Christi illæsam super altare reppererunt. Quod pro miraculo magno, sicut reuera fuit, Córado Priori loci sanctæ Mariæ & aliis quam pluribus referentes, Deum glorificauerunt, plurimum per hoc in fide confortati. Ecce habes ex his, quæ dicta sunt, euidentissima

ma